

25TH LATIN SUMMER SCHOOL

14th-18th JANUARY 2019

Eastern Avenue Building, University of Sydney

LEVEL 3B

Late Antique Latin Literature

Instructor: Michael Hanaghan



Salvete Omnes!

Welcome to the 2018 Latin Summer School, Level 3B!

During Late Antiquity (3rd-7th centuries CE) Roman literary culture underwent profound change, as the Empire in the West transitioned into the barbarian successor kingdoms, Christianity emerged as the domination religion, and a new literary aesthetic emerged.

Gibbon's *Decline and Fall* forced this period into the so-called dark ages, but recent reassessments, such as Brown's *The World of Late Antiquity* and Robert's *The Jeweled Style* have shed new light on this fascinating period and its texts.

This week we will read a selection of Late Antique texts, including:

- the Tacitean prose of Ammianus Marcellinus
- the witty epigrams of Ausonius
- the epic grandeur of Claudian
- the epistolary creativity of Sidonius Apollinaris
- the lucid prose of Augustine

Each reading is split into multiple parts. This will allow us to sample the text, and then determine to read on, or switch to another. We may not have time to cover them all.

Resources to help you prepare in advance are listed at the beginning of each reading section.

Looking forward to seeing you in January,

MH

Resources

Ammianus (Readings 1 and 2)

The Loeb translations are freely available at:

<http://penelope.uchicago.edu/Thayer/E/Roman/Texts/Ammian/home.html>

<https://archive.org/details/L315AmmianusMarcellinusRomanHistoryII2026/page/n1>

(The archive.org text allows for different formats to be accessed on the right hand side of the browser window, including downloading the book as a pdf).

A historical commentary for book 25 exists

Philological and Historical Commentary on Ammianus Marcellinus XXV, D. Den Hengst, Jan Willem Drijvers, Hans C. Teitler, Daniel Den Hengst, and H. C. Teitler, 2005.

For background on Julian, see Bowersock's biography *Julian the Apostate* (1978).

Ausonius

The Loeb translation for Ausonius' epigrams is available at:

<https://archive.org/details/L115AusoniusII1820PaulinusPellaeusEucharisticus/page/n11>

A commentary is available:

N.M Kay *Ausonius' Epigrams, text with introduction and commentary* (2001).

Claudian

The Loeb translation for Claudian's *De bello Gothico* is available here:

<https://archive.org/details/L136ClaudianIITheGothicWarRapeOfProserpina>

Sidonius

A somewhat free translation of Sidonius' letter 3.12 may be downloaded here

http://www.tertullian.org/fathers/sidonius_letters_03book3.htm

There is a loeb translation of this letter, but it is not available for free download

<https://www.loebclassics.com/view/LCL420/1965/volume.xml>

Augustine

A translation of Augustine's confessions is available here

<https://www.gutenberg.org/files/3296/3296-h/3296-h.htm>

1.a) The Death of Julian, Part 1 (Amm. Marc. 25.3.1-10)

In 363 the last emperor of the house of Constantine, Julian the Apostate, was killed in battle during his Persian campaign. One of Julian's own men probably threw the fateful spear.

Hinc nos egressos Persae cum saepe adflicti peditum stabiles pugnas horrerent, structis insidiis occulte comitabantur, altrinsecus viantes catervas a celsis collibus explorando, ut id suspicans miles ad usque perpetuum diem nec vallum erigeret nec sudibus se communiret.

dumque teguntur firmiter latera et exercitus pro locorum situ quadratis quidem sed laxis incedit agminibus, invasa subito terga pone versus arma cogentium principi indicatur, etiam tum inermi ad speculanda anteriora progresso.

qua concitus clade oblitus loricae, scuto inter tumultum adrepto, properans ultimis ferre suppetias, revocatur alio metu, qui etiam antesignanos, unde discesserat, paria perpeti nuntiabat.

quae dum sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias, ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus, factorem stridoremque elephantorum inpatienter tolerantibus nostris contis et multiplicatis missilibus decernebat.

verum principe volitante inter prima discrimina proeliorum exilivit nostra succinctior armatura, aversorumque Persarum et beluarum suffragines concidebat et dorsa.

quos cum Iulianus cavendi inmemor diffluxisse trepidos, elatis vociferando manibus aperte demonstrans, irasque sequentium excitans, audenter effunderet semet in pugnam, clamabant hinc inde candidati, quos disiecerat terror, ut fugientium molem tamquam ruinam male compositi culminis declinaret, et — incertum unde — subita equestris hasta, cute brachii eius praestricta, costis perfossis haesit in ima iecoris fibra.

quam dum avellere dextra manu conatur, acuto utrimque ferro digitorum nervos sensit excisos, et provolutus iumento praesentiumque veloci concursu relatus in castra, medicinae ministeriis fovebatur.

moxque ubi lenito paulisper dolore timere desiit, magno spiritu contra exitium certans arma poscebat et equum, ut reviso proelio suorum fiduciam repararet ac videretur sui securus alienae salutis sollicitudine vehementer adstringi: eo vigore licet in negotio dispari, quo Epaminondas ille dux inclitus letaliter apud Mantiniam saucius et revector ex acie conquirebat sollicite scutum. quod cum vidisset propius, laetior vi vulneris interiit, et qui animam intrepidus amittebat, iacturam clipei formidavit.

sed cum vires parum sufficerent voluntati sanguinisque profluvio vexaretur, mansit immobilis, ideo spe deinceps vivendi absumpta, quod percunctando Phrygiam appellari locum ubi ceciderat conperit. hic enim obituum se praescripta audierat sorte .

reducto ad tentoria principe, incredibile dictu est, quo quantoque ardore miles ad vindictam ira et dolore ferventior involabat, hastis ad scuta concrepans, etiam mori si tulisset fors obstinatus.

1.b) The Death of Julian, Part 2 (Amm. Marc. 25.3.15-23)

While battle continues to rage (10-14) Julian dies like a true philosopher king.

Quae dum ita aguntur, Iulianus in tabernaculo iacens circumstantes adlocutus est demissos et tristes: advenit, o socii, nunc abeundi tempus e vita inpendio tempestivum, quam repositi naturae ut debitor bonae fidei redditurus exulto, non ut quidam opinantur adflictus et maerens, philosophorum sententia generali perdoctus, quantum corpore sit beator animus, et contemplans, quotiens condicio melior a deteriore secernitur, laetandum esse potius quam dolendum. illud quoque advertens quod etiam dii caelestes quibusdam piissimis mortem tamquam summum praemium persolverunt.

munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus subcumberem arduis, neve me proiciam umquam aut prosternam, expertus quod dolores omnes ut insultant ignavis, ita persistentibus cedunt.

nec me gestorum paenitet aut gravis flagitii recordatio stringit vel cum in umbra et angulis amendarer, vel post principatum susceptum: quem tamquam a cognatione caelitem defluentem immaculatum, ut existimo, conservavi, et civilia moderatius regens et examinatis rationibus bella inferens et repellens, tametsi prosperitas simul utilitasque consultorum non ubique concordent, quoniam coeptorum eventus superae sibi vinclicant potestates.

reputans autem iusti esse finem imperii, oboedientium commodum et salutem, ad tranquilliora semper ut nostis propensior fui, licentiam omnem actibus meis exterminans, rerum corruptricem et morum, gaudensque ab eo gestiensque ubicumque me velut imperiosa parens consideratis periculis obiecit res publica, steti fundatus, turbines calcare fortuitorum adsuefactus.

nec fateri pudebit, interiturum me ferro dudum didici fide fatidica praecinente. ideoque sempiternum veneror numen quod non clandestinis insidiis nec longa morborum asperitate vel damnatorum fine decedo, sed in medio cursu florentium gloriarum hunc merui clarum e mundo digressum. aequo enim iudicio iuxta timidus est et ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat, et qui refugiat, cum sit oportunum.

hactenus loqui vigore virium labente sufficet. super imperatore vero creando caute reticeo, ne per inprudentiam dignum praeteream, aut nominatum quem habilem reor, anteposito forsitan alio, in discrimen ultimum trudam. ut alumnus autem rei publicae frugi, opto bonum post me reperiri rectorem

Post haec placide dicta familiares opes iunctioribus velut supremo distribuens stilo, Anatolium quaesivit officiorum magistrum, quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset praefectus, intellexit occisum acriterque amici casum ingemuit, qui elate ante contempserat suum.

et flentes inter haec omnes qui aderant auctoritate integra etiam tum increpabat, humile esse caelo sideribusque conciliatum lugeri principem dicens.

quibus ideo iam silentibus ipse cum Maximo et Prisco philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans, hiante latius suffossi lateris vulnere et spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, quam petiit medio noctis horrore, vita facilius est absolutus anno aetatis altero et tricensimo, natus apud Constantinopolim, a pueritia usque parentis obitu destitutus Constanti, quem post fratris Constantini excessum inter conplures alios turba consumpsit imperii successorum, et Basilina matre, iam inde a maioribus nobili.

2.a) The Faithless wife (Ausonius *Epig.* 3)

Ausonius was a fourth century poet and rhetorician from Burdigala in Gaul (modern Bordeaux).

Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito,
nec satis ad mortem credidit esse datum,
miscuit argenti letalia pondera vivi,
cogeret ut celerem vis geminata necem.
dividat haec si quis, faciunt discreta venenum;
antidotum sumet, qui sociata bibet.
ergo inter sese dum noxia pocula certant,
cessit letalis noxa salutiferae.
protinus et vacuos alvi petiere recessus,
lubrica deiectis qua via nota cibus.
quam pia cura deum ! prodest crudelior uxor:
et, cum fata volunt, bina venena iuvant.

2.b) The Man with a Discordant Voice (Ausonius *Epig.* 5)

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
caprigenumque pecus lanigerosque greges
balatu adsimulas ; asinos quoque rudere dicas,
cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
gallorum cantus et ovantes gutture corvos
et quidquid vocum belua et ales habet,
omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur,
non potes humanae vocis habere sonum.

2.c) On Philomusus, the Grammar Master (Ausonius *Epig.* 7)

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
doctum et grammati cum te, Philomuse, putas ?
hoc genere et chordas et plectra et barbita condas:
omnia mercatus eras citharoedus eris.

The following six epigrams (2d-j) are a cycle. Each poem criticises Rufus, a rhetor.

2.d) On Rufus, the Rhetor (Ausonius *Epig.* 8)

'Reminisco' Rufus dixit in versu suo:
cor ergo versus, inmo Rufus, non habet.

2.e) On a Statue of Rufus, the Rhetor (Ausonius *Epig.* 9)

Rhetoris haec Run statua est: nil verius ; ipse est,
ipse, adeo linguam non habet et cerebrum.
et riget et surda est et non videt : haec sibi constant;
unum dissimile est : mollior ille fuit.

2.f) On the same (Ausonius *Epig.* 10)

"Ore pulcro, et ore muto, scire vis quae sim?" "Volo."
"Imago Rufi rhetoris Pictavici."
"Diceret set ipse, vellem, rhetor hoc mi." "Non potest."
"Cur?" "Ipse rhetor est imago imaginis."

2.g) On the same (Ausonius *Epig.* 11)

"Rhetoris haec Rufi statua est ?" " Si saxea, Rufi."

" Cur id ais ? " " Semper saxeus ipse fuit."

2.i) On the same (Ausonius *Epig.* 12)

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?

dic mihi, Rufe. taees ? nil tibi tam simile est.

2.j) On the same (Ausonius *Epig.* 13)

" Haec Rufi tabula est." "Nil verius. ipse ubi Rufus ? "

" In cathedra." " Quid agit ? " " Hoc, quod et in tabula."



A statute of Ausonius in the Palazzo delle Scuole Palatine, Milan

3.a) Omens predict the Gothic Wars (Claudian *De Bello Gothico* 227-266)

utque est ingenioque loquax et plurima fingi
permittens credique timor, tunc somnia vulgo
narrari, tunc monstra deum monitusque sinistri:
quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether
fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat
fatidico custos Romani carbasus aevi.

territat adsiduus lunae labor atraque Phoebe
noctibus aerisonas crebris ululata per urbes.
nec credunt vetito fraudatam Sole sororem
telluris subeunte globo, sed castra secutas
barbara Thessalidas patriis lunare venenis
incestare iubar. tunc anni signa prioris
et si quod fortasse quies neglexerat omen,
addit cura novis: lapidosos grandinis ictus
molitasque examen apes passimque cremates
perbacchata domos nullis incendia causis
et numquam caelo spectatum impune cometem,
qui primum roseo Phoebi prolatus ab ortu,
qua micat astrigera senior cum coniuge Cepheus;
inde Lycaoniam paulatim expulsus ad Arcton
crine vago Getici foedavit sidera Plaustri,
donec in exiguum moriens vanesceret ignem.

Sed gravius mentes caesorum ostenta luporum
horrificant. duo quippe lupi sub principis ora,
dum campis exercet equos, violenter adorti
agmen et excepti telis inmane relatu
prodigium miramque non tamen duxere futuri.

nam simul humano geminas de corpore palmas
utraque perfossis emisit belua costis:
illo laeva tremens, hoc dexter a ventre latebat
intentis ambae digitis et sanguine vivo,
scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
ora sub Augusti casurum prodidit hostem,
utque manus utero virides patuere relecto,
Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.
sed malus interpret rerum metus omne trahebat
augurium peiore via, truncataque membra
nutricemque lupam Romae regnoque minari.
tunc reputant annos interceptoque volatu
vulturis incidunt properatis saecula metis.

3.b) Stilicho Saves the Day (Claudian *De Bello Gothico* 267-318)

Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
sponderet meliora manu, dubiaeque salutis
dux idem vatesque fuit. “durate parumper”
inquit “et excussis muliebribus ore querellis
factorum toleremus onus, nil nautica prosunt
turbatae lamenta rati nec segnibus undae
placantibus aut vanis mitescunt flamina votis.
nunc instare manu, toto nunc robore niti
communi pro luce decet: succurrere velis,
exhaurire fretum, varios aptare rudentes
omnibus et docti iussis parere magistri.
non, si perfidia nacti penetrabile tempus
inrupere Getae, nostras dum Raetia vires
occupat atque alio desudant Marte cohortes,
idcirco spes omnis abit. mirabile posset

esse mihi, si fraude nova vel calle reperto
barbarus ignotas invaderet inscius Alpes;
nunc vero geminis clades repetita tyrannis
famosum vulgavit iter nec nota fefellit
semita praestructum bellis civilibus hostem.
per solitas venire vias, aditusque sequendos
barbarico Romana dedit discordia bello.”

Sed nec praeteritis haec res incognita saeculis:
saepe laccessitam, sed non impune, fatemur
Ausoniam. haec Senonum restinxit sanguine flammis,
haec et Teutonico quondam patefacta furori
colla catenati vidit squalentia Cimbri.
vile decus, quod non erexit praevious horror;
ingentes generant discrimina magna triumphos.

“Quid turpes iam mente fugas, quid Gallica rura
respicitis Latioque libet post terga relicto
longinquum profugis Ararim praecingere castris?
scilicet Arctois concessa gentibus urbe
considet regnum Rhodano capitique superstes
truncus erit? vestros stimulant si pignora sensus,
me quoque non impar naturae cura remordet,
nec ferro sic corda rigent ut nosse recusem
quam sanctum soceri nomen, quam dulce mariti,
quantus prolis amor, sed numquam oblita decoris
obscaenam latebram pietas ignava requiret.
nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni:
hic coniunx, hic progenies, hic carior omni
luce gener; pars nulla mei subducta procellae.
accipe tu nostrae, tellus Oenotria, mentis

vincula communes tecum subeuntia casus,
exiguamque moram muris impende tuendis,
dum redeo lectum referens in classica robur.”

His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
pectora migrantisque fugam compescuit aulae;
ausaque turn primum tenebris emergere pulsas
Hesperia, ut secum iunxisse pericula vidit
Augustum, tantoque sui stetit obside fati.



A Diptych depicting Stilicho on the right ca 396

4.a) Grave-robbers! (Sid. Apol. *Ep.* 3.12.1-4)

Sidonius Secundo suo salutem.

Avi mei, proavi tui tumulum hesterno (pro dolor!) die paene manus profana temeraverat; sed deus affuit, ne nefas tantum perpetraretur. campus autem ipse dudum refertus tam bustualibus favillis quam cadaveribus nullam iam diu scrobem recipiebat; sed iam tellus humatis quae superducitur redierat in pristinam distenta planitiem pondere nivali seu diuturno imbrium fluxu sidentibus acervis. quae fuit causa, ut locum auderent tamquam vacantem corporum baiuli rastris funebribus impiare.

quid plura? iam niger caespes ex viridi, iam supra antiquum sepulchrum glabrae recentes, cum forte pergens urbem ad Arvernam publicum scelus e supercilio vicini collis aspexi meque equo effuso tam per aequata quam per abrupta proripiens et morae exiguae sic quoque inpatiens, antequam pervenirem, facinus audax praevio clamore compescui. dum dubitant in crimine reperti dilaberentur an starent, superveni. confiteor errorem, supplicia captorum differre non potui, sed supra senis nostri ipsum opertorium torsi latrones, quantum sufficere posset superstitem curae, mortuorum securitati.



A stain glass window depicting Sidonius, bishop of Clermont, distributing alms to the poor.

ceterum nostro quod sacerdoti nil reservavi meae causae suaeque personae praescius, in commune consului, ne vel haec iusto clementius vindicaretur vel illa iusto severius vindicaret. cui cum tamen totum ordinem rei ut satisfaciens ex itinere mandassem, vir sanctus et iustus iracundiae meae dedit gloriam, cum nil amplius ego venia postularem, pronuntians more maiorum reos tantae temeritatis iure caesos videri.

sed ne quid in posterum casibus liceat, quos ab exemplo vitare debemus, posco, ut actutum me quoque absente tua cura sed meo sumptu resurgat in molem sparsa congeries, quam levigata pagina tegat. ego venerabili Gaudentio reliqui pretium lapidis operisque mercedem. carmen hoc sane, quod consequetur, nocte proxima feci, non expolitum, credo, quod viae non parum intentus.

4.b) The Epitaph (Sid. Apol. *Ep.* 3.12.5)

quod peto ut tabulae, quantulumcumque est, celeriter indatur; sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapidicida; quod factum sive ab industria seu per incuriam mihi magis quam quadratario lividus lector adscribet. ego vero, si pio studio rogata curaveris, sic agam gratias, quasi nil tibi quoque laudis aut gloriae accedat, quem patruo tuo remoto solida praesentis officii sollicitudo mansisset pro gradu seminis.

Serum post patruos patremque carmen
haud indignus avo nepos dicavi,
ne fors tempore postumo, viator,
ignorans reverentiam sepulti
tellurem tereres inaggeratam.
praefectus iacet hic Apollinaris
post praetoria recta Galliarum,
maerentis patriae sinu receptus,
consultissimus utilissimusque
ruris militiae forique cultor,
exemploque aliis periculoso
liber sub dominantibus tyrannis.
haec sed maxima dignitas probatur,
quod frontem cruce, membra fonte purgans
primus de numero patrum suorum
sacris sacrilegis renuntiavit.
hoc primum est decus, haec superba virtus,
spe praecedere quos honore iungas
quique hic sunt titulis pares parentes,
hos illic meritis supervenire.

Novi quidem auctoris nostri non respondere doctrinae epitaphii qualitatem, sed anima perita muscas non refutat inferias. tibi quoque non decet tardum videri quod heres tertius quartusque dependimus, cum tot annorum gyro voluto magnum Alexandrum parentasse manibus Achillis et Iulium Caesarem Hectori ut suo iusta solvisse didicerimus. vale.

5.a) Firminus' Birth, An Astrological Failure 1 (Augustine *Conf.* 7.6.8-10)

iam etiam mathematicorum fallaces divinationes et impia deliramenta reieceram. confiteantur etiam hinc tibi de intimis visceribus animae meae miserationes tuae, deus meus! tu enim, tu omnino (nam quis alius a morte omnis erroris revocat nos nisi vita quae mori nescit, et sapientia mentes indigentes inluminans, nullo indigens lumine, qua mundus administratur usque ad arborum volatica folia?), tu procurasti pervicaciae meae, qua obluctatus sum Vindiciano acuto seni et Nebridio adulescenti mirabilis animae, illi vehementer adfirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua sed tamen crebro dicenti non esse illam artem futura praevidendi, coniecturas autem hominum habere saepe vim sortis et multa dicendo dici pleraque ventura, nescientibus eis qui dicerent sed in ea non tacendo incurrentibus -- procurasti ergo tu hominem amicum, non quidem segnem consultorem mathematicorum nec eas litteras bene callentem sed, ut dixi, consultorem curiosum et tamen scientem aliquid quod a patre suo se audisse dicebat: quod quantum valeret ad illius artis opinionem evertendam ignorabat. is ergo vir nomine Firminus, liberaliter institutus et excultus eloquio, cum me tamquam carissimum de quibusdam suis rebus, in quas saecularis spes eius intumuerat, consuleret, quid mihi secundum suas quas constellationes appellat videretur, ego autem, qui iam de hac re in Nebridii sententiam flecti coeperam, non quidem abnuerem conicere ac dicere quod nutanti occurrebat, sed tamen subicerem prope iam esse mihi persuasum ridicula illa esse et inania, tum ille mihi narravit patrem suum fuisse librorum talium curiosissimum et habuisse amicum aequae illa simulque sectantem. qui pari studio et conlatione flatabant in eas nugae ignem cordis sui, ita ut mutorum quoque animalium, si quae domi parerent, observarent momenta nascentium atque ad ea caeli positionem notarent, unde illius quasi artis experimenta conligerent. itaque dicebat audisse se a patre quod, cum eundem Firminum praegnans mater esset, etiam illius paterni amici famula quaedam pariter utero grandescibat, quod latere non potuit dominum, qui etiam canum suarum partus examinatissima diligentia nosse curabat; atque ita factum esse, ut cum iste coniugis, ille autem ancillae dies et horas minutioresque horarum articulos cautissima observatione numerarent, enixae essent ambae simul, ita ut easdem constellationes usque ad easdem minutias utrique nascenti facere cogerentur, iste filio, ille servulo. nam cum mulieres parturire coepissent, indicaverunt sibi ambo quid sua cuiusque domo ageretur, et paraverunt quos ad se invicem mitterent, simul ut natum quod parturiebatur esset cuique nuntiatum: quod tamen ut continuo nuntiaretur, tamquam in regno suo facile effecerant. atque ita qui ab alterutro missi sunt tam ex paribus domorum intervallis sibi obviam factos esse dicebat, ut aliam positionem siderum aliasque particulas momentorum neuter eorum notare sineretur. et tamen Firminus amplo apud suos loco natus dealbatiores vias saeculi cursitabat, augebatur divitiis, sublimabatur honoribus, servus autem ille conditionis iugo nullatenus relaxato dominis serviebat, ipso indicante qui noverat eum.

5.b) Firminus' Birth, An Astrological Failure 2 (Augustine *Conf.* 7.6.910)

his itaque auditis et creditis (talis quippe narraverat) omnis illa reluctatio mea resoluta concidit, et primo Firminum ipsum conatus sum ab illa curiositate revocare, cum dicerem, constellationibus eius inspectis ut vera pronuntiarem, debuisse me utique videre ibi parentes inter suos esse primarios, nobilem familiam propriae civitatis, natales ingenuos, honestam educationem liberalesque doctrinas; at si me ille servus ex eisdem constellationibus (quia et illius ipsae essent) consulisset, ut eidem quoque vera proferrem, debuisse me rursus ibi videre abiectissimam familiam, conditionem servilem et cetera longe a prioribus aliena longeque distantia. unde autem fieret ut eadem inspiciens diversa dicerem, si vera dicerem, si autem eadem dicerem, falsa dicerem, inde certissime conlegi ea quae vera consideratis constellationibus dicerentur non arte dici sed sorte, quae autem falsa, non artis imperitia sed sortis mendacio.

hinc autem accepto aditu, ipse mecum talia ruminando, ne quis eorundem delirorum qui talem quaestum sequerentur, quos iam iamque invadere atque inrisos refellere cupiebam, mihi ita resisteret, quasi aut Firminus mihi aut illi pater falsa narraverit, intendi considerationem in eos qui gemini nascuntur, quorum plerique ita post invicem funduntur ex utero ut parvum ipsum temporis intervallum, quantamlibet vim in rerum natura habere contendat, conligi tamen humana observatione non possit litterisque signari omnino non valeat quas mathematicus inspecturus est ut vera pronuntiet. et non erunt vera, quia easdem litteras inspiciens eadem debuit dicere de Esau et de Iacob, sed non eadem utrique acciderunt. falsa ergo diceret aut, si vera diceret, non eadem diceret: at eadem inspiceret. non ergo arte sed sorte vera diceret. tu enim, domine, iustissime moderator universitatis, consulentibus consultisque nescientibus occulto instinctu agis ut, dum quisque consultit, hoc audiat quod eum oportet audire occultis meritis animarum ex abysso iusti iudicii tui. cui non dicat homo, 'quid est hoc?' 'ut quid hoc?' non dicat, non dicat; homo est enim.